



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 134. Scotorum Optimatum conatus adversus Legationem Archiepiscopi  
S. Andreae

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. A.C. 1472. pla ad Siciliae Regnum quosdam ablegabat, qui monasticæ disciplinæ inspectionem haberent, ac ibidem Religiosos ad primævum instituti rigorem revocarent. Denique privilegia Monasterii ad S. Salvatorem Ordinis S. Basilii, quod extra Messinæ mœnia situm est, rata habuit, confirmavitque.

## §. CXXXIV.

*Scotorum Optimatum conatus adversus Legationem Archiepiscopi S. Andreae.*

*Buchanan.*  
*lib. 12.*

*Vide supra*  
*lib. CXII.*  
*§. 178.*

Equidem in Scotia Patricius Graamus fratri suo uterino in Episcopali Sede ad S. Andreae successerat; verum ejus Adversarii tot eidem opponebant obstacula, ut Romam reverti compelleretur, summi Pontificis auxilium imploraturus, cujus beneficio Ecclesia sua non solum in Archiepiscopalem evecta, sed ipse quoque Sedis Apostolicæ Legatus in Scotia nominatus erat. Nihilominus, ne Legationis suæ munia obiret, graviter oblectabantur Scotiæ Proceres; metuebant enim. ne avita Regni jura hujusmodi legationibus labefactarentur. (\*) Tantum valere eorum que-

(\*) Quales autem fuerint hi Proceres, ingenuè ex Auctoribus in margine laudatis exponit Spondanus dicens, adversarios sensit eos, qui rede-



relæ, ut Patricius prohiberetur, ne ullam sui muneris partem expleret, aut Archiepiscopi insignia deferret, donec de accusationum articulis adversus eum delatis a summo Pontifice cognosceretur, apud quem ejus adversarii falsis suis criminationibus tantum impetrabant, ut Archiepiscopatum dimittere cogeretur, ac in carcerem detrusus, diuturnis miseriis ibidem confectus decederet, ut nonnulli referunt Auctores. Igitur ab hoc Patricio epocham suam habet Archiepiscopatus Santandreaus, quamvis ipse illius dignitatis munia exercere nunquam valuerit. Observat Spondanus, quod hoc anno Scotiæ Reges primo ad Episcopales Ecclesias atque Abbatias Clericos, nominare cœpissent, indeque prava irrepsisset corruptela, qua beneficia, resque omnes tam sacræ quam profanæ velut ad publicam nundinationem Aulicis proponebantur, qui tamen beneficiorum proven- tus in usus parum honestos convertebant.

Sæcul. XV.  
A.C. 1472.

Spond. Con-  
tin. Annal.  
hoc anno  
n. 17.

### §. CXXXV.

redemerant in aula dignitates ecclesiasticas, metuentes, ne prædam & pretium simul amitterent, necnon qui spem crescendi ex aulica nundinatione conceperant. *Continuator cum cetera ex Spondano transcribere non dubitasset, etiam his verbis locum in sua Historia vindicare potuisset.*